602 C

DE PERSICA ARBORE. CAP. CCXXVIII.

NOMINA.

Persica cur dicta.

ΠΕΡΣΙΚΗ μηλέα Græcis, Persica mâlus Latinis: antiquum nomen herbarij uulgares retinuerunt: Germanis Pferſichbaum appellatur. Persica fortè dicta, quod ex Perside primum aduecta sit.

FORMA.

Persica foliis amygdalæ maioribus constat: flore subpuniceo, pomo carnoso, succulento, foris lanuginoso, dura intus & scabra nuce, in qua nucleus qualis amygdalis.

LOCVS.

Passim in hortis, uineis potissimũ, nascitur. Gaudet autem aquosis.

TEMPVS.

Floret primo statim uere, fructus uerò eius autumni ferè exitu matureſcit, celerrimè marceſcens.

TEMPERAMENTVM.

Persica arbor in germinibus & foliis uincentem amaram qualitatẽ habet, ut hoc nomine calidam esse nemo dubitare possit. Fructus eius in secundo ordine frigidus & humidus existit.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Persica poma stomacho grata sunt, matura bonum faciunt aluum, cruda uerò aluum constringunt. Siccata uehementius adstringunt. Siccorum decoctum haustum stomachi & uentris fluxiones sistit.

EX GALENO.

Folia Persicæ trita & super umbilicum imposita lumbricos necant. Alioqui sanè etiam discutiens medicamentũ est. Pomorum uerò eius succus & ueluti caro facilè corrumpitur, omninoq; noxam infert, quapropter haud post alios cibos ultimoq;, sicut nonnulli solent, illa offerri oportet: nam in summo natantia corrumpuntur. Huius uerò, quod omnibus cõmune est, meminisse oportet: quæcunq; uitiosi succi, quæ humida & lubrica sunt, facileq; descendunt secedúntue, præ alijs comedenda esse: sic enim & ipsa celeriter subeunt, & alijs præeunt, ac quasi iter muniunt. Postremò autem sumpta, unà secum alia quoq; in corruptionem trahunt.

EX PLINIO VALERIANO.

Persicorũ cibus est quidem stomacho inutilis, eò quod citò succus eius inacescat, & caro æque in digestione uitietur, uerum minimè grauis, dum non diutius in intestinis moratur, & ad ima semper exitu celeri festinat. Persicorum cibus negatur à medicis membra nutrire. Sed & Galenus suadet nunquam omnino post cibum sumere, corrumpi affirmans si cibis cæteris innatent. Persicorũ folia trita & imposita uentris animalia perimunt & expellunt. Eadem sicca & in puluerem tusa, recentes plagas cruentorũ uulnerum claudunt. Nucleus persicorum capitis dolori cum oleo & aceto tritus illinitur; quamuis quidam cum solo rosaceo terere maluerint. Gummi gutta quam Persici truncus illachrymat, fluenti aluo medetur. Eadem mixta cum uino etiam in uesica lapillos frangit. Trita ex aceto impetigines reprimit. Decocta cum croco tumores faucium mitigat. Asperam arteriæ canalem leuiorem facit. Excreantibus sanguinem miro modo subuenit. Thoracis obstrictos sinus reserat; uitia pulmonis expurgat.

APPENDIX.

Flores Persicæ saccharo condîti, instar rosarum aut uiolarum, aluum haud leuiter mouent atque subducunt.

DE PEPLO.



PEPLOS